

Boncompagnus de Signa

Dum medium silentium tenerent omnia

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Boncompagnus de Signa

Dum medium silentium tenerent omnia

1194-1195

Dum medium silentium tenerent omnia et dies iocundissimo tempore veris suum perageret cursum, causa venandi quoddam intravi pomerium infra quod duo rivuli decurrebant; erant enim ibi arbores florigere inter quas dulcissimus phylomenarum cantus undique resonabat. Fatigatus, modicum sub frondosa pinu quievi et cepi firmiter dormire. Cum autem sic quiescerem, ecce comparuit virgo speciosissima cuius pulcritudinem non posset aliquis designare. Apprehendit me per manum et cepit mecum aliquantulum residere. Utebatur primo suavissimis eloquiis et coloratis prefationibus in dicendo; post multa siquidem verba plicatis brachiis me suaviter strinxit et suis rubentibus labellis mea suavius comprimens contulit michi basia ineffabilia. Post hec iocundiora et iocundissima exercendo que mille modis gaudium geminaverunt, introduxit me tandem in cubiculum suum quod erat fulcitum floribus et malis stipatum. Erant ibi cardines eburnei cum capitellis aureis, parietes cristallini cum celatura varia, sicque radiabant ex gemmarum fulgoribus ut michi videretur esse in Paradiso deliciarum. Superveniente demum aurora, me sub eiusdem arboris umbra reduxit et repetitis amplexibus me innumerabiliter astringens, angelicum michi contulit "ave".

A sompno quidem tam glorioso salutationis alloquio excitatus, duxi vestram in hac parte sapientiam consulere ut vestris michi dignemini litteris sompnium explanare.